



**DN. DVRANDI|| à Sancto Portiano, in Senten=||tias
Theologicas Petri Lombardi|| Commentariorum libri||
quatuor.||**

Durandus <de Sancto Porciano>

Antverpiæ, 1567

Quæstio tertia. Vtrum circumstantiæ possint mutare speciem peccati, vel
eam intendere seu minuere.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72607](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72607)

natio actus formaliter; charitas autem vel feruor charitatis nulli eorum opponitur formaliter, sed charitas confectiue opponitur peccato mortali, quia non stat cum deordinatione actus peccati mortalis; feruor autem charitatis non opponitur peccato veniali nec formaliter, vt dictum est, nec cōsecutiue, quia cū peccato veniali stat charitas, & feruor charitatis, feruor enim charitatis, aut intelligitur intentio charitatis quantum ad habitum, & iste nunquam minuitur per quodcumq; peccatū, vt in præcedentibus dictum est; aut intelligitur de intentione charitatis quantum ad actum, & talis feruor non opponitur veniali, quin cum tali feruore possit peccatū veniale manere nec talis feruor sufficit ad deletionē peccati venialis sine aliqua displicentia vel contritione, sola autē displicentia vel contritio sufficit ad deletionem peccati venialis sine tali feruore. Et ideo minor propositio prædictæ rationis falsa est.

10 Ad secundū ratiōē dicendum qd aliquid potest esse acceptum Deo dupliciter. Vno modo tanquā remunerandum vitæ æternæ, & talis acceptatio nō est nisi per gratiā. Alio modo potest aliquid esse acceptū Deo tanquā remunerabile aliquo bono temporali; & sic bona facta extra charitatem sunt Deo accepta. Et quia carere malo habet rationē boni, ideo bona facta extra charitatē sunt à Deo accepta non solum ad adipiscendū aliquod bonum temporale, sed etiam ad expiationē peccati temporalis peccato veniali debite. Et in hoc est eua curatum totū fundamentum alterius opinionis, & solutio quæ dant ad primam rationem pro secunda opinione positam. Ex hoc enim solo dicitur veniale non posse dimitti sine mortali, quia nihil potest esse Deo acceptum sine gratia, quod non est verum (vt dictum est) nisi de sola acceptatione ad meritum vitæ æternæ. Fingunt etiam isti quod puer veniens ad ætatem in qua potest peccare, nunquam peccat primò venialiter, sed mortaliter, quod est manifestè falsum in pueris tam baptizatis quam non baptizatis, multa enim sunt delicta puerorum quæ omnia reputantur venialia, antequam aliquis iudicet eos peccasse mortaliter.

11 AD rationem principalem quæ videtur esse cōtra secundum modum, dicendum est quod peccatum veniale non obscurat per diminutionem luminis gratiæ, vel charitatis, quia secundum omnes licet gratia & charitas possint augeri, non tamen possunt diminui; & ideo nō oportet quod venialia dimittantur per intentionem luminis gratiæ & charitatis, dicunt tamen obscurare, & non tota liter obtenebrare. Quia quum omne peccatum mortale fiat ex defectu luminis rationis, minor defectus est in commissione peccati venialis, propter quod dicitur obscurare, quam in commissione peccati mortalis, quod dicitur obtenebrare.

QVÆSTIO TERTIA.

Vtrum circumstantiæ possunt mutare speciem peccati vel eam intendere seu minuere.

Tho. 2. 2. q. 7. c. q. 13. ar. 10.

Tertio queritur de circumstantiis peccatorum. Et primo vtrum circumstantiæ possint mutare speciem peccati, vel eam intendere, seu minuere. Et arguitur qd non, quia species rei nō potest variari, nisi per illa quæ sunt rei intrinseca, augmentum etiam vel diminutio cuiuslibet forme attenditur secundum ea quæ sunt forme intrinseca, vt patuit in .i. lib. distin. 15. Sed circumstantiæ non sunt intrinsece actui, quia iam non essent circumstantiæ, quum circumstare sit stare circa rem, & non intra, ergo nullæ circumstantiæ possunt speciem peccati mutare, vel augere, vel minuere.

2 Item sicut circumstantiæ malæ cōcurrunt ad actum peccati, ita circumstantiæ bonæ ad actum virtutis, sed circumstantiæ bonæ nō variant neq; mutant actum virtutis, ergo nec circumstantiæ malæ actum peccati.

3 IN contrarium arguitur, quia vnumquodq; potest variari, augeri, vel minui, secundum variationē, augmentum, vel diminutionem suæ causæ, sed circumstantiæ malæ, sunt causa peccati, dicte Dioniso, quia malum est ex particularibus defectibus, ergo per circumstantias possunt peccata variari, augeri, vel minui.

4 **RESPONSIO.** Circa quæstionem istam videntur

da sunt duo. Primum est, quid sit circumstantia. Secundum est, qualiter se habeant circumstantiæ ad peccatum.

5 **QVANTVM** ad primum sciendū quod nomē circumstantiæ videtur esse tractum ex his quæ inueniuntur in loco & quantitatis corporalibus ad actus morales. Illa enim dicuntur circumstare corpus existens alicubi, quæ nō sunt ei intrinseca, & tamen ipsum aliquo modo attingūt. Similiter in actibus, illa dicuntur circumstare quæ nō sunt de essentia actus, sed ei accidunt siue subiectiue vt modus agendi, siue extrinsecè vt locus, tempus, conditio personæ agentis, vel materia circa quam est actio, & finis & similia: quicquid igitur non pertinet ad substantiam actus prout est in specie naturæ, & tamen aliquo modo concernit ipsum actum, dicitur circumstantia eius.

6 Quantum ad secundum sciendū est quod triplex est modus circumstantiarum, quæ dā enim sunt quæ secundum se important conuenientiam vel disconuenientiam ad rectam rationē, sicut quod res aliena accipitur de voluntate domini, vel præter eius voluntatem: prima enim circumstantia concors est rationis, sed secunda à ratione discordat, sic etiam quod res accepta præter voluntatem accipitur de loco sacro directè est cōtra rationem propter reuerentiam sacri loci. Aliæ sunt circumstantiæ quæ de se non important aliquam conuenientiam, vel disconuenientiam ad rectam rationem, important tamē supposito quodam alio: sicut accipere rem alienam in quāitate magna vel parua secundum se non discordat à ratione, supposito tamen quod indebitè accipitur, puta furto, vel rapina maiorem disconuenientiam includit acceptio rei alienæ in magna quantitate quam in parua, sed non aliam in specie. Aliæ verò sunt circumstantiæ, quæ nec de se nec quocumque supposito includunt disconuenientiam ad rectam rationem, nec inclusam minuunt vel augmentant, sicut quod res aliena accipitur manu dextra, vel sinistra.

7 His suppositis dicendum est quod circumstantiæ primi generis ponunt in actu rationem peccati. Et secundum multitudinem earum est in actu eodem multitudo peccatorum sicut in acceptione rei alienæ ponit speciem peccati quod accipitur clam vel per violentiam, quia primo modo est furtum. Secundo modo rapina. Si etiam accipitur furto vel rapina de sacro loco non solum est furtum vel rapina, sed sacrilegium. Et sic sunt plura peccata & non vnum tantum. Cuius ratio est, quia vbicumq; in actu vno sunt plures defectus vel difformitates quarum vna non est per se determinatiua alterius, ibi sunt plura peccata. Sed in re furtiue, vel violentè accepta in sacro loco sunt plures difformitates quarum vna non est determinatiua alterius, ergo ibi sunt plura peccata. Maior patet, quia formalis ratio peccati consistit in hoc quod non conformatur recte rationi; & talis inconformitas vocatur de factus, vel difformitas actus moralis. Minor patet, quia in furtiua acceptione rei alienæ de sacro loco est duplex difformitas, vna quia accipitur res præter voluntatem domini. Alia irreuerentia sacri loci qui habet immunitatem & vna non est determinatiua alterius per se, quia potest fieri furtum sine irreuerentia sacri loci. Et potest fieri irreuerentia sacro loco præter furtum, propter quod in sacraligio tali non videtur esse vnum peccatum tantum sed duo. Et idem intelligendum est in omnibus aliis peccatis quando in actu vno sunt plures circumstantiæ malæ, quarum vna non est determinatiua alterius. Et sic patet qualiter circumstantiæ primi generis se habent ad actum.

8 De circumstantiis autem secūdi generis qualiter se habeant ad actum & saltem de his quæ secundum se non includunt conuenientiam vel disconuenientiam ad rectam rationem, sed solum quodam alio supposito patet quod non ponunt in actu nouam speciem peccati, sed solum in eadem specie augment culpam vel minuunt, quod patet ex ipsis terminis: quia quod non importat de se difformitatem sed importatam auget vel minuit non ponit speciem peccati, sed postquam auget vel minuit, sed difformitates huius generis sunt huiusmodi, vt patet ex præcedentibus, ergo &c. Circumstantiæ autem tertii generis nec ponunt in actu speciem peccati, nec postquam auget vel minuunt. Cuius ratio est, quia nullam differentiam habent ad rectam rationem secundum bonum vel malum, nec secundum se vt ponant notam speciem peccati, vt circumstantiæ

cumstantiæ primi generis, nec alio supposito vt ponant augmentum in culpa, et circumstantiis generis secundi: vt patet in exemplo posito de acceptione rei alienæ cum manu dextra vel sinistra.

9 AD primum arg. in oppositum dicendum est quod circumstantiæ non sunt intrinsecæ actui quantum ad esse naturæ. Et ideo non mutant, nec variant, nec augent vel minuunt actum secundum esse naturæ, circumstantiæ tamen sunt intrinsecæ actui secundum esse morale in quantum cadunt, vel cadere debent sub actu rationis deliberantis & voluntatis eligentis. Et ideo mutare possunt seu multiplicare speciem actus quantum ad rationem peccati, vel augere seu minuere secundum quod dictum fuit in corpore solutionis.

10 Ad secundum dicendum quod non est simile de circumstantiis bonis & malis. Quia cum bonum sit ex tota causa secundum Dionys. omnes circumstantiæ debite requiruntur ad bonitatem actus, sed cum malum sit ex particularibus defectibus, quælibet mala circumstantia quæ non est alterius per se determinatiua ponit spirituales malitiam in actu. Et sic in eodem actu secundum esse naturæ possunt esse plures malitiæ seu plura peccata secundum esse moris. In bonis etiam possunt reperiri in eodem actu bonitates multe plurium virtutum, sicut in illo qui ieiunat, quia placet bonum temperantiæ. Et nihilominus ieiunat, quia vult & placet ei votum reddere, in tali ieiunio relucet bonum virtutis temperantiæ & religionis.

QVÆSTIO QVARTA.

Vtrum omnes circumstantiæ peccatorum sint confitendæ.

Tho. vbi supra.

DEinde queritur vtrum omnes circumstantiæ peccatorum sint confitendæ. Et videtur quod sic, quia confessio debet correspondere contritioni, sed peccator debet de singulis circumstantiis contreri, vt dicit Aug. in littera, ergo debet de singulis confiteri.

1 Item ad hoc fit confessio vt secundum quantitatem & qualitatem eriminis imponatur poena satisfactionis, sed circumstantiæ ostendunt quantitatem & qualitatem criminis, aut quia dant nouam speciem, aut quia aggravant: ergo omnes circumstantiæ sunt confitendæ.

2 IN contrarium arguitur sic: quia in confessione qui libet debet se accusare, & non alium infamare: sed per confessionem circumstantiarum contingeret quandoque quod homo reuelaret personam cum qua peccauit, ergo circumstantiæ non sunt confitendæ.

3 **RESPONSIO.** Dicendum quod circumstantiæ primi generis, quæ ponunt nouam speciem in actu: si species sit de genere peccati mortalis, omnes tales sunt necessario confitendæ. Cuius ratio est: quia omne peccatum mortale cadit necessario sub confessione necessitate finis, & acquiritur salutis, de qua loquimur in hac materia: sed circumstantiæ primi generis ponunt speciem peccati in actu & secundum multitudinem earum est multitudo peccatorum, vt probatum est: ergo omnes tales sunt necessario confitendæ. Circumstantiæ autem secundi generis, vt videtur quibusdam, sunt necessario confitendæ propter rationem ad quæstionem principaliter adductam: quia quantitas poenæ, debet correspondere quantitati culpæ.

4 Aliis tamen videtur melius, quod non est necesse tales circumstantias confiteri, licet sit valde congruum: quia nunquam est de necessitate confessionis, nisi illud quod de se includit rationem peccati mortalis, eo quod solum peccatum mortale priuat gratiã quæ est necessaria ad salutem: sed circumstantiæ secundi generis non ponunt speciem peccati mortalis, licet postquam augeant, vel etiã minuunt, quod etiam augmentum non est infinitum, vt patet ex poena debita: quia cum furto debeat poena æterna, secundum durationem non debetur ei poena maior si furtum fieret in maiori vel minori quantitate, sed solum secundum acerbitatẽ. acerbitas autem non augeatur in infinitum, quare &c. ergo tales circumstantiæ non sunt necessario confitendæ: valde tamen congruum est quod confitens confiteatur tales circumstantias: nec videtur ad plenum contritus, quando tales circumstantias omittit absque causa rationabili & neces-

saria. Circumstantiæ autem tertii generis non sunt de necessitate confessionis, cum non addant speciem peccati: nec de congruitate, quoniam non augmentent, nec minuunt speciem peccati, sed omnino sunt de superfluitate.

6 AD primam rationem in oppositum dicendum, quod dictum Aug. est intelligendum de debito congruitatis quantum ad circumstantias aggravantes, & non de debito necessitatis: quantum autem ad circumstantias ponentes speciem peccati, est debitum necessitatis, quantum autem ad illas tertii generis, neutrum debitum est ibi.

7 Ad secundum dicendum quod duplex est quantitas peccati, vna quasi essentialis, quæ est secundum speciem peccati, sicut homicidium est grauius furto: & hæc quantitas necessaria est ad confitendum, & secundum eam est imponenda grauior satisfactio pensata contritione & ceteris conditionibus. Alia est quantitas peccati in eadem specie & ista congrue confitenda est, licet non necessario: quia non est necessarium quod secundum hanc grauitatem taxetur poenitentia, multo minus quam secundum primam.

8 AD rationem alterius partis dicendum est, quod homo in confessione debet famam alterius custodire quantum potest: suam tamen conscientiam teneri purgare quantum debet. Si igitur circumstantia non sit de necessitate confessionis, debet eam dimittere, ne peccatum alterius prodatur, vel petere licentiam confitendi alteri qui ex circumstantia non veniret in notitiam personæ de qua fit intentio. Si autem circumstantia sit de necessitate confessionis, non est aliquo modo omittenda, sed petenda est licentia a curato, vel eius superiore confitendi alteri personam ignoranti, quæ licentia si non detur potest securè dicere, confitens circumstantias sui peccati, fecit enim quod in se est, & plus tenetur sibi quam alteri. Ex quo patet quod curiosi confessores qui inquirunt de circumstantiis peccati, etiam non necessarii ad confitendum, vt deueniant in cognitionem personæ, cum qua aliquis vel aliqua peccauit grauius delinquant. Et debentes alios mundare seipsum sciant, vt cum aliquis dicit se peccasse cum aliqua religioſa, cum istud sufficiat ad exprimentum circumstantiam peccati, si vterius confessor inquirat cuius religionis sit mulier, vtrum sit monialis, alba, an nigra, & cuius monasterii, vt tandem deueniat ad notitiam personæ, talis confessor grauius peccat, & inducit confitentem ad peccandum: detentius autem & grauius peccant illi quam qui suadent confitenti quod reuelet eis extra confessionem personam cum qua peccauit, vt possint hoc aliis dicere, & per consequens alium infamare, nisi esset talis casus quem confitens per seipsum tenetur dicere.

QVÆSTIO QVINTA.

Vtrum ludii, spectacula, militia, negotiatio, impediunt poenitentiam.

Quarto principaliter queritur vtrum ludii, spectacula, militia, negotiatio impediunt poenitentiam. Et videtur quod non. Primo de iudo, quia illud in quo potest consistere virtus non impedit, sed in iudo consistit virtus quæ dicitur eutrapelia, vt dicitur. 4. Ethic. ergo ludus poenitentiam non impedit.

2 Item arguitur sic de spectaculis, quia multa alia sunt peccata grauiora quam spectacula. Sed illa non dicuntur poenitentiam impediunt, ergo nec ista debent poni.

3 Item illa sine quibus respublica non potest conservari non sunt impedimenta operum poenitentiarum & cuiuscumque virtutis, sed respublica non potest conservari sine negotiatione & militia, quia per militiam hostes impediunt respublicam comprimuntur, per negotiationem vero necessaria procurantur, ergo militia & negotiatio non impediunt poenitentiam.

4 IN contrarium est quod dicit Gregorius, & habetur in littera.

5 **RESPONSIO.** Dicendum quod aliqua sunt vitanda a verè poenitentibus de necessitate, aliqua verò de congruitate. Illa sunt vitanda de necessitate quæ includunt peccatum mortale, quia per talia amittitur fructus præcedentis poenitentiarum: poenitentia etiam in tali statu facta non est satisfactoria, vt communis tenetur. Illa verò sunt vitanda de congruitate quæ sunt occasiones peccati